



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Septimum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Caput Septimum.

A

De scholari contracto qui ad sepulchrum Martyris reualuit.

CIVIS Confluentinus puerum scholasticum habuit adeo contractum, ut dimidio anno pedem in terram deponere non posset. Iussit ergo eum duci Coloniam, & plena fide martyris sepulchro imponi. Fit ita: & ecce mox laxantur nervi, puer à monumento se submittit in pedes, atque ad hospitium suum gratulabundus abscedit.

Notatio ad Caput Septimum.

B

Theodericus von der Arefen. **M**ANUSCRIPT. ait, cui huic Confluentino nomen fuisse Roricum, cognomen von der Arefen; Filium Rorici ægrum vocatum Theodericum.

Numerus Capitulum mutatur. Hoc septimum caput editio Suriana cum præcedenti miraculo de paralytica restituta continuat, sed manuscriptus ab eo diuidit, ideoque deinceps etiam numerum capitulum mutandum duxi.

Caput Octauum.

De obtrectatore Martyris punito, iterumque curato.

AVRIFABER quidam Sibergensis adeo noluit fidem adhibere miraculis martyris, ut quoties eius audiret prædicari sanctitatem, vel irrideret, vel contradiceret. Et quinam, inquit, vel dici, vel esse potest sanctus, cuius iussu multæ inflammatae ædes, multi spoliati sunt, & quem multorum malorum constat fuisse authorem? Sed Deus martyris iniurias diutius fere non sustinens, blasphemum hominem subito tanta vi morbi oppressit, ut se quamprimum crederet à vita abiturum. In se igitur reuersus, veretur ea causa se percussum, quod martyri detraxisset. Iubet ergo Coloniam se adduci, venit aliorum manibus ad sepulchrum martyris, fatetur illi culpam suam, inter cætera crebro hæc repetit: Domine, per merita tua & sanctum martyrium tuum, adiuua me miserum. Interim dicit ad circumstantes: Ecquis me aqua benedicta adpersit? Respondent omnes: Nemo nostrum te adpersit. Ille reperit.